



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispv. CXVIII. An intellectus Dei, & Beatorum in ipso Deo distinguere
possit varia attributa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

distinctio rationis fundamento à nobis sit; sed rem facimus quasi coacti: quia rem perfectè non intelligimus: nam si perfectà notitia cognosceremus, nequaquam possemus in plura distinguere, vt sequenti disputatione patebit. Distinctio autem illa eiusdem à se ipso non est distinctio de re ipsa, vt supra dixi, sed est nominis quædam, aut etiam eiusdem conceptus repetitio; aliud autem est repetitio conceptus, aliud autem distinctio. Qualis vero distinctio sufficiat, vt vnum de altero non prædicetur, disputatione 119. explicandum est. Neque ab hac nostra sententia dissentit Henricus quodlib. 5. quæst. 1. non enim contendit nostrum intellectum posse, in Deo plura distinguere, quæ re ipsa distincta non sunt, sine ordine ad creaturas distinctas realiter: sed solum docet, diuinum intellectum in sua essentia plura distinguere posse attributa, etiam si nullæ essent creature, quarum instar ea distinguat: quod à verum sit, statim videbimus.

DISPUTATIO CXVIII.

An intellectus Dei, & Beatorum in ipso Deo distinguere possit varia attributa.

Opinio Henrici & Canariensis, cap. 1.

Attributa non distinguuntur ipso intellectu diuino, aut etiam beato, cap. 2.

Intellectu diuino aut beato non posse attributa distinguere per respectum ad creaturas, aut ad intellectum viatorum, cap. 3.

Corollaria præcedentis doctrinæ, cap. 4.

Respondetur argumentis Henrici & Canariensis, cap. 5.

CAPVT I.

Opinio Henrici, & Canariensis.

PRæsens disputatio non solum de diuinis attributis futura est, sed etiam de quacunque re indiuidua, an scilicet ab intellectu diuino, & intelligente eam, sicuti est, proprio & quidditatiuo conceptu, in plures rationes distinguere possit, sicut à nobis viatoribus Deus distinguitur; est enim omnino eadem ratio. De intellectu igitur Dei, & Beatorum docet Henricus quodlib. 5. q. 1. ipsum optime posse ita distinguere diuina attributa, vt ad distinguendum necesse ei non sit aliquas creaturas realiter distinctas respicere, sicut nos viatores respicimus. Vnde colligit, etiam si non essent possibiles plures creature, realiter distinctæ futurum nihilominus vt intellectus diuinus, & Beatus distingueret in Deo plura attributa: cuius sententiam amplectitur Canar. in hunc art. disput. 2. dub. 3. in fin. Faut etiam Durandus & Caietanus, vt infra notabitur. Vt autem hanc sententiam explicet Henricus, notat, essentiam diuinam, etiam si in se simplicissima sit: tamen quatenus est veritas intellecta ab ipso Deo, & beato, bifariam considerari posse, primum quatenus est veritas simpliciter, quæ am intuitu intellecta: & hoc modo nec beatus homo, nec Deus plura attributa in ea distinguere possit: est tamen, inquit Henricus, in ea cognitione multiplicitas attributorum virtualiter. Deinde considerari potest essentia diuina, vt veritas intellecta, circa quam intellectus Dei, aut beatus negoriatur (inquit ille) hoc est, conatur inuenire, & inter se conferre perfectiones huius es-

sentia, & hoc modo plura in ea attributa distinguere potest, quorum distinctionem ait fieri ab intellectu diuino, & beato per respectum ad intellectum, & voluntatem ipsius Dei; quia nimirum intellectus Dei aut beati concipit essentiam diuinam, & voluntatem, & rem volitam, vt intelligentem, & rem intellectam. Sic enim distinguere possunt, & omnia Dei attributa, quæ pertinent ad intellectum, vt quod sit verus, sapiens, providens, &c. Et quæ pertinent ad voluntatem, vt quod sit bonus, iustus, misericors, &c. Colligit ex his omnia attributa Dei præter absolutum esse, quod in Deo habent, includere etiam respectum rationis, quem diuinus, aut beatus intellectus addit.

Durandus in d. 1. d. 2. q. 3. num. 20 solum negat, distinguere posse in Deo attributa à diuino intellectu sine ordine ad creaturas distinctas realiter: quare concedere videtur, posse attributa ab ipso Deo distinguere, non vt putauit Henricus per respectum ad ea, quæ sunt intra ipsum, sed per respectum ad creaturas. Propterea dixit Durandus ex parte facere cum Henrico: conuenit enim in eo, quod ait, ab intellectu diuino posse attributa diuina distinguere: idemque eadem ratione affirmare debet de quouis intellectu vidente Deum, sicuti est. Denique Caietanus supra q. 13. artic. 4. circa solutionem 3. docere videtur ab intellectu diuino distinguere diuersos conceptus ipsius essentia, bene tamen à quocunque alio intellectu creato, etiam si beatus sit. Quare hi omnes eadem proportionem concedent, ab intellectu diuino, vel à quocunque creato cognoscente rem, si uti est, posse plura distinguere in re, in qua nulla est distinctio ante intellectum, siue illa sit Deus, siue quacunque alia res creata.

Hæc sententia probatur primo: Deus, & Beatus intelligunt omnem veritatem, quæ est in essentia diuina: intelligunt ergo in Deo rationem intellectus & voluntatis; rationem iustitiæ & misericordiæ, quia hæc omnia sunt in ipso; hæc autem veritates distinctæ sunt, ergo intelligunt eas distinctas, ac proinde ipsi attributa verè distinguunt. Hanc vero distinctionem non fieri necessario per respectum ad creaturas distinctas realiter probat secundo Canariensis, quia licet non essent plures creature distinctæ possibiles; esset nihilominus in Deo sufficiens fundamentum distinguendi attributa. Nam si necessaria esset aliqua distinctio realis, cuius respectu attributa deberent distinguere, in Deo illa reperitur, cum in eo processiones distinguantur realiter. Tertio hoc ipsum probat Henricus, quia attributa sunt in Deo sine villo respectu ad creaturas; neque enim dicitur sapiens quia est causa sapientiæ creaturarum, sic enim non esset formaliter sapiens, sed ab effectu, & sic de alijs; Ergo attributa intelligi possunt, & distinguere sine ordine ad creaturas.

Quarto idem confirmari potest hoc argumentum Durandi, in Deo est realis distinctio personarum absque ordine ad creaturas; ergo potest esse distinctio rationis, consequentia nititur communi propositione, quæ potest esse maior, potest esse minor, & vbi potest esse maior, potest esse minor. Ergo vbi potest esse distinctio realis sine ordine ad creaturas, potest esse minor distinctio attributorum, quæ est per intellectum sine eo ordine. Quinto denique est aliud Durandi argumentum, distinctio personarum supponit distinctionem principiorum producen-

ducentium, si ergo illa, quæ est personarum, & posterior, conuenit Deo sine respectu ad creaturas, distinctio etiam principiorum, quæ prior est, conueniet & hæc est ratio; ergo distinctio rationis poterit Deo conuenire sine ordine ad creaturas.

In quo Durandus, & Henricus differunt.

Nihilominus Durandus docet contra Henricum, attributa distinguere non posse ab intellectu diuino sine ordine ad creaturas distinctas realiter & duo argumenta posteriora dissoluit, quæ pro sententia Henrici allata sunt.

CAPVT II.

Attributa non distinguuntur ipso intellectu diuino, aut etiam beato probabilior opinio fers.

4. **M**hi multo probabilior videtur opinio, quæ affirmat, non solum diuina attributa inter se, aut ab essentia nullo modo posse distinguere per intellectum Dei, aut hominis videntis Deum, vel comparatione cum creaturis realiter distinctis, vel alia ratione; verum etiam nullam rem creatam ea parte, qua natura sua simplex est, distinguere posse per intellectum cognoscentem ipsam, sicuti est, intuitiuo (vt aiunt) conceptu, & proprio.

Capreolus.

Hanc sententiam docuit Capreolus in 1. d. 8. q. 4. artic. 3. in fine, in solutione cuiusdam argumenti, qui licet de attributis Dei, & de intellectu diuino, & beato solum loquatur, idem eadem ratione asserere debet de quouis intellectu vidente rem, sicuti est. Fuit autem expressa sententia Bernardi in lib. 5. de consideratione ad Eugenium, aliquantum ante finem, ubi cum dixisset, Deum esse longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profunditatem, & obiecit sibi, inde sequi quaternitatem, inquit in hæc verba: *Visus sum protulisse plura, sed vnum est, vnus Deus signatus est pro capto nostro, non pro suo statu. Diuisus est hic, non ille, voces diuersæ, semitæ multæ, sed vnum per eum significatur, vnus queritur.* Et paucis interiectis. *Nobis autem, quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit veluti quadruplicatum, facit hoc speculum, & ænigma, per quod solum videre datur, cum autem videbimus faciem ad faciem, videbimus sicuti est. Nec enim iam tunc fragilis acies mentis nostræ, quantumlibet vehementer intendens, aliquatenus resiliat, dissiliat, ve in suam pluralitatem, colliget se magis, adunabit, conformabit, vnitati illius, vel potius vnitati illi, vt vna vni facies respondeat faciei.* Hæc Bernardus. quibus ita perspicue rem totam expressit, vt nec ab vilo scholasticæ Theologiæ studio aliquid clarius dici, aut desiderari poterit.

5. Sed in eius verbis obseruandum est primo, hanc nostram opinionem confirmari, cū ait, multitudinem illam perfectionum, quam varijs vocibus de Deo significamus, provenire ex infirmitate nostri intellectus adhuc cognoscentis per ænigma, eam vero multitudinem, non mansuram; in nostro intellectu, cum Deum videbimus sicuti est, quod sanè si in nobis verum est, de ipso Deo, qui perfectissimè se ipsum intuetur; sicuti est, multo magis est asserendum, quare nec Deus, nec beatus, plura in Deo attributa distinguunt.

Secundo nota, non solum concedere Bernardum respectu intellectus viatoris distinctionem in Deo secundum voces, vt dicebant Nominales superiori disputatione citati, cum ait, *vores diuersæ*, sed etiam distinctionem rationis, & conceptum de eodem Deo, cum inquit, *semitæ multæ*, quibus

vnus queritur, semitæ namque intellectus nostri querentis Deum sunt conceptiones.

Tertio ex verbis Bernardi manifestè colligitur, diuina attributa, quæ distincta in via cognoscuntur, ita videri in patria indiuidua, & absque distinctione, vt quantumvis intellectu videntis Deum conetur ea distinguere, non valet, quod illis verbis significauit. *Nec quantumlibet vehementer intendens, aliquatenus resiliat, dissiliat, ve in suam pluralitatem, & sequentibus.* Si enim potest intellectus beatus plura in Deo distinguere, consequens sit, in pluralitatem, quasi in diuersas semitæ resiliare, & dissiliare posse. Atque hinc confutatur doctrina Henrici, qui asserit, essentiam Dei distinguere per intellectum Dei, & beati, non quatenus est veritas simplici intuitu cognita, sed quatenus est veritas intellectus circa illam inuestigare potest.

Quarto ex eisdem verbis Bernardi contra Scotum probare possemus, attributa non distinguere in Deo ex natura rei, sed sola intellectione viatoris. Nam si ex natura rei distinguere, eodem modo Beatus illa distingueret, atque viator: sed ait Bernardus, intellectum in patria non posse in pluralitatem resiliare, sicut potest in via, ergo non distinguuntur ex natura rei: si enim ea distinguere, ut ex natura rei, non posset Beatus, vt plura non intelligere ea, quæ in se ipsis essent ex natura rei distincta, sicut viator etiam in via ex sententia Scoti intelligit plura in Deo distincta formaliter. Quantum vero poderis habeat authoritas Bernardi in hac re contra Scotum, colligitur ex ijs, quæ dictum disputat. 116. c. 4. cum enim etiam in illo lib. 5. de consideratione contra Gilbertum disputat, & scribat ad Eugenium, qui Gilberti errorem damnauit, vt disput. 120. videbimus, contra ipsum, quam indubitatum dogma fidei probare contendit, in Deo non esse aliam pluralitatem, & distinctionem, quam personarum inter se: nam essentiam, & eius perfectiones cum personis putat esse suapte natura omnino idem.

Deinde hæc eadem sententia probatur auctoritate, & ratione B. Thom. q. 7. de potentia. 6. quæ etiam paucis Bernardus insinuat; quia ex infinitate, & imperfectione nostri intellectus, dum cognoscit per ænigma & alienas species, pronit, vt rem integrè, sicuti est, cognoscere non valet, sed idè quasi per partes ipsam apprehendat, & diuidat, vel ex varijs effectibus variè naturam eius cognoscens, vel ex diuersis creaturarum perfectionibus diuersè ipsam intelligens; ergo, quoties intellectus rem apprehendit, & obiecit eam sibi facit cognitione sua præsentem, sicuti ipsa est, necesse alio modo intellectu obijciatur, quam est in se, si ipsa in se nullam habet distinctionem, & pluralitatem; sequitur, nec in intellectu vidente ipsam, sicuti est, posse distinguere, aut distinctam apprehendere, sed in intellectu Dei, & beatorum Deus apparet eodem modo, quo in se ipso est, ergo, si in se nullam habet distinctionem attributorum ex natura rei, nullam habebit in intellectu ipsius Dei, & beatorum, atque hoc præferim vni habet in diuino intellectu, quia idem omnino ex natura sua est intellectus, intelligere, & res intellecta: quomodo ergo Thomistæ, qui fatentur hæc tria idem omnino esse suapte natura, & ex natura rei, per ipsammet intellectum diuinum affirmant distinguere?

Denique contra Henricum, & Canonicum sic possumus argumentari, vel Deus, & Beatus

dem intellectione, qua cognoscunt simpliciter essentiam diuinam, distinguunt in ea plura attributa; vel alia: eadem non possunt, ut ipsi farentur: quia, cum essentia simpliciter apprehenditur, non distinguitur in plura, aliam autem cognitionem datam, nec in Deo, nec in Beati possumus assignare, quia omnes visiones sunt eiusdem rationis, cum sint Dei sicuti est, nec ullus hactenus plures posuit, praesertim in Deo, ergo dicere debent, semper. & quacumque cognitione Deum apprehendi a se, & a Beatis cum distinctione, quod ipsi negare videntur.

CAPUT III.

Intellectu diuino, aut beato non posse attributa distinguere per respectum ad creaturas, aut ad intellectum viatoris.

Hactenus in vniuersum probatum est, non posse intellectum diuinum, aut beatum visionem claram, qua videt essentiam Dei, plura in ea attributa distinguere; nunc vero superest, ut demonstremus, neutrum posse attributa distinguere, etiam per respectum ad varias creaturas, in quo neque per respectum ad intellectum creatum viatoris, sine respectu enim ad creaturas, dixit Durandus, distinguere attributa non posse per intellectum diuinum, cum illo tamen respectu concedere videtur distinguere posse; hoc autem esse falsum, ex naturalibus allatis perspicuum est; tum quia cum attributa Dei sint re ipsa absolutas, & ad creaturas non referantur, ut disputat 104. cap. 6. ostensum est, intellectus diuinus, & beatus, qui vidit ea, ut sint in se ipsis, non poterit relate ad creaturas illa cognoscere; relate enim concipere ea, quae re ipsa non referuntur, imperfectio est, & solum fit ab intellectu, qui rem non intelligit, sicuti est, ut infra probabitur. Tam etiam, licet possit diuinus intellectus, & beatus attributa Dei apprehendere relate ad creaturas; nihilominus non possit ea distinguere ex illo respectu; respectus enim ad diuersa solum potest esse causa distinctionis, quoties res non cognoscitur, sicuti est, sed per analogiam ad alias: at quoties res concipitur sicuti est, & in se ipsa est omnino indiuisa, eodem modo in intellectu manet, quantumvis ad diuersa referatur.

Ceterum diuinum intellectum non posse attributa distinguere per respectum ad nostrum intellectum ea distinguendum, difficilius videtur. Nam si intellectus ea distinguat, & Deus recte intelligit quid, & quomodo noster intellectus circa attributa diuina operetur, sciet profecto ab eo distinguere; iam igitur, & ipse Deus hac ratione distinguat, quae ex se ipso solum distinguere non possit. Id quod docuisse videtur Capreolus loco citato, non asserit, attributa diuina licet à Deo non distinguantur, optimè tamen ab eo cognosci tanquam distincta per intellectum viatoris.

Verum tamen probemus, nec hoc modo distinguere attributa per intellectum diuinum, aut beatum, notandum est primum, ex eo, quod Deus cognoscit ea aliqua per nostrum intellectum distinguere, non aliquo modo; sicut ex eo, quod Deus cognoscit nostrum intellectum discernere, non fit, ipsum etiam Deum discernere. Ille namque optimè nouit discernere & modum, quo non discernimus, &

ex vno in aliud in cognitione proficimus, & tamen ipse dum ista cognoscit, non discernit, nec in sua cognitione ex vno in aliud procedit. Eodem modo scit bene, nos intelligere per species materiales spiritualia, & conuersione ad phantasmata, & ita habere de rebus spiritualibus alienos conceptus instar rerum corporearum; ipse tamen in suo intellectu non potest ita intelligere, & similes de rebus conceptiones formare; nam tales conceptus obiectiuus in nostro intellectu pendet ex formali, quem habemus, quo solo representari potest: cumque Deo talis conceptus formalis non conueniat, non potest habere nostrum conceptum obiectiuum sibi praesentem: veluti conceptum auditus, & visus non habet eodem modo, quo nos; quia non habet visionem, seu auditionem.

Deinde obseruandum est, ut aliqua per intellectum distinguantur, opus esse obijci ei tanquam distincta, & ut talia sua cogitatione ei representari: nec satis esse, ut cognoscat illa posse distinguere per alium intellectum alio modo intelligentem: veluti ut aliquis intelligat rem per discursum, & relate ad aliam, opus est vnam ex alia in sua ipsius cognitione colligere. Ergo cum Deus non cognoscat eo modo imperfecto, non potest attributa distinguere; licet optimè sciat: ea per nostrum intellectum suo modo imperfecto cognoscentem distinguere: qui ita nouit nostrum imperfectum modum cognoscendi, ut tamen ipse eo modo non intelligat. Quare licet videat Deus, attributa sua à nobis distinguere, & intueatur nostrum conceptum formalem; tamen nunquam ei attributa in sua cognitione obijciuntur, sicut scit nostro intellectui representari. Sicut igitur Deus, ea posse à nobis nostro imperfecto modo distinguere, sed hoc scit simplicissimo & perfectissimo suo modo: ex quo nulla in obiecto distinctio provenit: ut enim ea ipse distingueret, deberent in suo intellectu representari, sicut in nostro: id quod, nullo modo fieri potest. Optimè ergo dixit Capreolus non distinguere attributa diuina per intellectum ipsius Dei: bene tamen cognoscit ab ipso Deo, per intellectum viatoris esse distincta, aut posse distinguere: quae duo diuersa sunt. Denique non alio modo nunc obijciatur essentia diuina suo intellectui, quam obijceretur, si non essent creaturae rationales, ita tamen Deus se ipsum intelligit, & se ipsum sibi habet praesentem, ut id non pendeat ex aliquo extrinseco, sed si non essent creaturae rationales, quae Dei esse in intellectu distinguere possent, non apprehenderet Deus sua attributa distincta per ordinem ad intellectum creatum; ergo nec modo distinguere.

CAPUT IV.

Corollaria praecedentis doctrinae.

Ex dictis colligitur primo, per intellectum diuinum, aut quemlibet cognoscentem res, sicuti sunt, proprio & distincto conceptu, non fieri ens rationis, sicut neque distinctionem. Nam cum ens rationis, quod rebus tribuimus, ipsis reuera non conueniat, nisi tantum in nostra apprehensione, & Deus cognitione sua rebus cognitis nihil addat, sed illas omnino apprehendat, sicuti ipse ipsis sunt; fit, ut per intellectum diuinum, aut

ut distinguantur res ab intellectu debent obijci, ut distincta.

IV. Cognitione inuicem non fit ens rationis.

*Aliquorum
obiectis.*

Refellitur.

*Non posse
vnum de
alio affir-
mari, aut
negari, nisi
per diuersos
conceptus
formales.*

12.

S. Thom. 2.

aut cognoscens rem sicuti est, non possit ali-
quid ad aliud referri, quod re ipsa ad aliud non re-
fertur. Sed dicunt nonnulli, Deus conceptu suo
conferit vnam rem cum alia, componendo, & di-
uidendo in propositione, & ipsam etiam chime-
ram confert cum ijs de quibus eam negat: ergo
per intellectum diuinum potest esse collatio ali-
qua inter obiecta, etiam si conceptus formalis in
intellectu diuino existens, sit res simplicissima:
cum tamen ipsi plane fateantur, per diuinum in-
tellectum distingui non posse ea, quæ suapte na-
tura indiuidua sunt; quorum sententia, meo iudi-
cio, secum manifestè pugnat. Nam si intellectus
diuinus, aut cognoscens rem sicuti est, eo non po-
test distinguere, quæ re ipsa non differunt; quia
ei obijciuntur non alio modo, quam sunt in se ip-
sis; eodem modo non poterunt aliqua per intel-
lectum concipi, vt relata, quæ reuera non refe-
runtur: id enim probat eadem ratio. Quod vero
asserunt Deum affirmare, aut negare vnum de alio
compositione, & diuisione ex parte obiecto-
rum, & rerum, non ex parte conceptuum forma-
lium, falsum est. Tum quia sine compositione, &
multiplicatione conceptuum formalium, nec compo-
sitione nec distinctio vlla intelligi potest ex parte
conceptuum obiectiuorum: quare cum S. Tho-
mas infra quæst. 8. art. 4. docet, Angelos non in-
telligere res componendo, & diuidendo, de vtro-
que conceptu, formali scilicet, & obiectiuo aper-
te loquitur, vt ibidem ostendimus. Tum etiam,
quia si Deus intelligit res sicut sunt, nequit eas in-
uicem comparare, & componere, quæ suapte na-
tura mutuo non referuntur. Quomodo autem
Deus intelligat non entia disput. 61. dictum est.

Ceterum recentiores aliqui claudicantes in
vtramque partem, nec planè vnam aut aliam sen-
tentiam sectantes, docent, concipi quidem à Deo
ens rationis & obiectiuè Deo præsens esse, sed à
Deo non fieri, ne concedant absurdum, nempe
intellectum diuinum fingere aliquid sibi. Idè
vero dicunt, non fieri ens rationis ab intellectu,
quia non primariè ab ipso, sed ab intellectu crea-
to formatum, ex quo sequitur, vt à Deo intelliga-
tur, sed non fiat, quia iam factum est. Verum hi
Philosophi ludunt vocabulis, ne videantur con-
cedere aliquid absurdum de Deo; quomodo cum-
que vero loquamur, negare non possunt, diuinum
intellectum aliquid fingere, & concipere aliter,
quam est. Primum, quia si Deus retinet in mente
sua id, quod non est, licet non primariè, sed, quia
prius factum est ab intellectu creato, reuera for-
mat in intellectu suo figmentum, & monstrum,
illudque virtute sui intellectus conseruat factum,
& inuentum ab alio. Nam esse illud obiectiuum,
quod res habent in intellectu Dei, habent, vt à
causa integra ab ipso intellectu diuino, cui obij-
ciuntur: neque enim ad illud, prout est in intel-
lectu diuino, concurrunt intellectus creatus, vt ma-
nifestum est: hoc autem non minus absurdum est,
quam si primariè formaretur figmentum illud ab
intellectu diuino, & non occasione alicuius intel-
lectus creati: hoc enim est imperfectè cognos-
centis rem, & non sicuti est.

13.

Adde, quod si Deus nunc cognoscit ens ratio-
nis, quod ab intellectu humano habet esse, cog-
noscit etiam illud ab æterno antequam creatus
intellectus illud effingat: ergo Deus ab æterno
habet effectum actu obiectiuè à suo intellectu a-

liquid, quod nondum formatum est ab intellectu
creato: tale autem esse obiectiuum actu pendens
ab intellectu diuino, & non ab intellectu creato,
nec est à parte rei, nec potest esse à parte crea-
tæ: ergo est aliquid rationis factum à solo
intellectu diuino, non cooperante & nondum
illud operante intellectu creato: fieri igitur de-
bet aduersarij, posse à Deo fingi ens rationis, si
semel concedant posse à Deo cognosci. Neque
obstat, quod tale ens rationis idè cognoscatur à
Deo, quia potest ab intellectu creato in tempore
confinigi, quo minus dicamus, cum illud cogno-
scitur à Deo ab æterno, ab eo tantum confingi:
nam cum ab æterno solus Deus intellectus suo tri-
buat illi esse obiectum actu, quod nondum tri-
buitur ab intellectu creato, solus Deus dicitur, il-
lud esse obiectiuum ab æterno effingere.

Obijcies, Deus cognoscit id, quod est in intel-
lectu humano: ibi autem est aliquid factum, Di-
co, hæc duo differre, nempe cognoscere aliquid
esse in intellectu humano, hoc enim sine imper-
fecto conceptu obiectiuo fieri potest; & cogno-
scere eo modo, quo est in intellectu humano hoc
est, habere idem esse obiectiuum. Nam, & dis-
cursus cognoscitur à Deo, sine discurfu obiectiuo, &
conceptus rerum spiritualium, quos habemus
per conceptus rerum corporearum, abique hoc,
quod Deus tales habeat de rebus spiritualibus
conceptus.

Deinde contra eisdem arguere possumus hoc
modo. Fieri ens rationis & formari, nihil aliud
est, quam obijci intellectui, vel intelligi, quod
idem est, diuinum autem intellectus ex sententia
ipforum habet illud sibi obiectiuè præsens; ergo
facit illud, & format, licet non primariè, sed occa-
sione nostri intellectus.

Obijcies iterum, Deus cognoscit conceptum
nostrum formalem; conceptus autem formalis
habet relationem, & respectum ad ens rationis
ergo cognoscit etiam, & obiectiuè sibi habet præ-
sens ens rationis. Respondeo, intelligi à Deo no-
strum conceptum formalem, & habitum ad
extrema realia, ex quibus intellectus noster con-
cipit ens rationis, & ita intelligi etiam à Deo ens
reale, ex quo sumitur denominatio rationis no-
stræ, sed conceptum nostrum formalem non ha-
bere respectum realem ad figmentum illud obie-
ctiuè existens in mente nostra, & ita non sequi
Deo cognosci, ex eo, quod Deus cognoscit con-
ceptum nostrum formalem, quia, vt habet illud
sibi obiectiuè præsens, debet habere in se concep-
tum formalem, cuius virtute obijciuntur nobis ip-
sum autem habere non potest; obiectiuus enim
conceptus secundum esse obiectiuum formaliter
pendet à conceptu formali, sicut repræsentatum
à repræsentante.

Secundò sequitur per intellectum, qui res cog-
noscit, vt sunt, non posse distingui rationem ge-
nericam, & specificam, seu indiuiduum substantia-
lem rei; ac proinde nullam rem in tali intelle-
ctu compositam esse ex genere, & differentia, &
principio substantiali indiuiduationis. Nam cum
hæ rationes solum differant per intellectum, &
ex natura rei sint omnino idem, nequaquam po-
terunt distingui per intellectum diuinum aut cog-
noscens eas, vt sunt: eas vero per solum in-
tellectum distingui manifestum est, quis enim in-
cat, vnam & indiuiduam re ipsa rationem animalem

in homine, & equo simul esse? Solum ergo est in homine & equo similitudo quædam, quæ in utroque reperitur, ex qua intelligitur, qui non plene utrumque intelligit, quasi per partes concipiens, abstrahit rationem communem, in qua conveniunt & peculiaritatem, in qua differunt. Quare hæc generis, & differentie compositio merito vocatur Thomæ compositio rationis, seu conceptum.

Sed obijciat, Eliam Cretensem in oratione 24. Nazian. in illa verba, *Duas summas, ubi asserit, nihil præter Deum esse simplex: videtur autem loqui de compositione generis, & differentie, quam opponit simplicitati: quod si hæc compositio solum esset rationis, nihil obesset simplicitati: ex quo ergo, quod res aliæ præter Deum compositione essent ex genere & differentia, non poterat Elias colligere nihil præter Deum esse simplex. Et quidem hæc compositio in Deo alicui non repugnare, quia derogaret eius simplicitati, notaui supra disputatione 21. cap. 3. & sequenti disputatione fusiùs probabitur. Respondeo, Eliam non loqui de compositione ex genere, & differentia, nec eam opponere simplicitati: sed de compositione essentia, & accidentium ostendentium rem singularem & individuum, quibus asserit omnem rem creatam consistere; & idem recte asserit, in solo Deo esse simplicitatem. Nam si de ratione speculativa, & generis, & individua loqueretur, ex hac parte nulla res mundi composita esset suapte natura, sed solum per intellectum, ac proinde omnis etiam præter Deum ex ea parte esset natura sua simplex, verba Eliæ sunt, *Simplex enim proprie hæc solus (scilicet essentia Dei) & unum proprie, & unitas, atque, ut ita dicam, solitas, quæcumque autem præter Deum sunt, velut duplicia sunt, & composita, tamen si non per modo intellectus, & ex essentia sunt, & consistunt in differentia, quæ rem unamquamque fecerit. Quid enim habet, quod ad existentiam ipsius demonstrationem simul consideretur, proprie non simplex est, quibus non loquitur de compositione generis, & differentie, sed essentia, & differentie individua: hæc vero individua differentiam appellavit, quidquid ad demonstrationem ipsius pertinet, accidentia nimirum peculiaritatis rei, quæ sancti Patres loco personalitatis ponere solent, ut Athanasius, lib. de definitionibus, Basilii Epistolæ 42. Gregor. Nysseni, lib. de differentia essentia & Hypostasis, ita in principio, Damasceni, lib. primatum institutionum, cap. 1. & in sua Dialectica, cap. 25. & 26. item Nicetas, lib. 3. Theodori, cap. 20. & 34. quorum sententia ita intelligenda est, ut accidentia non pertineant ad substantialem personam, aut individui constitutionem; sed ad demonstrationem illius, ut planè docet Basilii ibidem, & Nicetas verbis citatis insinuat, atque in tertiam partem quæst. 4. art. 2. fusiùs probabimus. Hanc ergo compositionem concessit Nicetas in rebus etiam spiritualibus, nimirum ex essentia & accidentibus, non autem ex ratione communi, & speciali, aut singulari, neque ex esse, & essentia, ut in tertiam partem S. Thomæ quæst. 17. art. 2. ostendimus.**

Tertio sequitur. Baro cum videant Deum simplicem, & unum in essentia, posse etiam, uno nomine simplicissimo sibi invicem exprimere quidquid in Deo est; ac proinde omnia nomina dicta de

Deo, ipsis Beatis esse (ut aiunt) synonyma, ut quæ artic. 4. notauimus. Modum autem, quo sibi Dei essentiam Beati significare possunt uno simplicissimo nomine, cogitare non valeamus; quia non consequimur Deum ipsum eo modo, quo ipsi vident, unde provenit, sicut infra disputatione sequenti cap. 2. dicemus, ut non possimus uno, & eodem nomine ea, quæ in Deo sunt indivisa, nobis, dum sumus in via, mutuo significare.

CAP. V.

Respondetur argumentis Henrici & Canariensis.

Argumenta vera prioris sententia cap. 1. à nobis allata ex dictis facile diluuntur. Primum sanè frivolum est; assumit enim in maiori, quod erat probandum: Deum videlicet cognoscere in se ipso plures veritates, ut quod sit iustus, misericors, habeat intellectum, voluntatem, &c. Dicimus ergo Deum cognoscere hæc omnia, quæ nos diuisa, & pro nostro modulo distincta intelligimus; sed cum hæc omnia in Deo sint unum, ut etiam ipse Canariensis concedit, & disputat. 116. monstratum est, & Deus intelligat se ipsum, sicut re ipsa est, nec in sua cogitatione alio modo sibi obijciatur, & representetur; sequitur hæc omnes veritates, quas nos facimus plures, & re ipsa una tantum est, ut unam simplicem à Deo cognoscimus. Argumentum sanè rectè probatur, illa omnia à Deo cognosci distincta, si ex natura rei inter se distincta essent, ut asserit Scotus; at vero cum non distinguantur nisi per intellectum, quomodo Canariensis supponit, eas esse plures veritates in Deo & non unam? Hinc etiam fit, Deum nullo modo posse per respectum ad intellectum, & voluntatem suam attributa distinguere; siquidem non minus sunt idem suapte natura intellectus & voluntas, quam cætera attributa.

Ad secundum eiusdem Canariensis respondeo, esse quidem in Deo distinctionem realem personarum; hanc tamen non sufficere, si Deus in sua essentia ea distinguat, quæ ex natura rei individua sunt. Quia id etiam efficere nequit, licet sint plures creaturæ, per ordinem ad quas nos attributa distinguimus; hoc autem non provenit ex defectu potentia, sed ex summa perfectione intellectus. Nos enim, quod non possumus rem intelligere, sicuti est, per partes, & quasi diuisam ipsam apprehendimus, & de ea loquimur, ut ex dictis in tota disputatione manifestum est. Non ergo negamus Deum posse in se ipso distinguere attributa, quia non sunt aliqua distincta realiter, per ordinem ad quæ, ea possit Deus distinguere; sed quia perfectissime se ipsum intelligit, sicuti est, & idem nihil in se ipso distinguere potest, quod re ipsa distinctum non sit. Quocirca fallitur Durandus, cum ait, Deum in se ipso attributa distinguere, referendo ea de creaturas realiter distinctas.

Tertium argumentum, quod erat Henrici, solum probat, esse quidem in Deo attributa sine ullo respectu ad creaturas: at per intellectum diuinum distinguì posse sine respectu ad creaturas, certè non conuenit; quia cum respectu, & sine illo repugnat, attributa per diuinum intellectum distinguì, quod si ab eo possent distinguì, probaret sanè contra Durandum, nulla collatione cum creaturis facta, distinguì posse.

Ad

19.
Solutio
quarta
ratio à non-
nullis.

Ad quantum respondent nonnulli, distinctionem personarum maiorem esse distinctione attributorum, ea parte, quia illa est realis, hæc autem rationis; ex alia tamen parte maiorem esse distinctionem attributorum, quam personarum; quia hæc est relatiua, i. la vero absoluta; ens autem absolutum simpliciter præstat relatiua. Sed solutio mihi non placet; nam cum loquimur de distinctione, ut dicatur maior, aut minor, non ad perfectionem eorum, quæ distinguuntur, sed ad modum distinctionis attendendum est; quare si relationes realiter distinguuntur, absoluta vero solum per intellectum, maior simpliciter dicenda est distinctio relationum, quamvis absoluta præstet relatiua. Respondet ergo Durandus, propositionem illam, *Vbi potest esse maius, potest esse minus*, intelligendam esse in ijs, quæ sunt eiusdem rationis, & minus includitur in maiori: quemadmodum si quis potest calefacere, ut octo, poterit etiam, ut quatuor: in ijs vero, quæ sunt diuersæ rationis, non esse veram; nā qui potest ratiocinari, non potest volare. Eandem propositionem eodem modo intelligit idem Durandus in 3. d. 2. q. 1. nu. 10. & Marfil. in 3. q. 3. art. 2. aliquantulum à fine in solutione eiusdem secundæ rationis. Sic ergo etiam diuina essentia est sufficiens fundamentum distinctionis realis personarum, sine ordine ad creaturas, & tamen non est sufficiens, ut per ipsum diuinum intellectum attributa distinguatur, tametsi hæc sit minor distinctio, quia est alterius rationis. Cur autem esse possit realis, non rationis, satis manifestum est.

Vltima
ratio
solutio.

Ad vltimum etiam respondet Durandus, distinctionem personarum non oriri ex distinctione principiorum, nec illam supponere. Quod si principiorum distinctio supponeretur, ut prior, ea deberet esse ex natura rei, ut disputatione 149. cap. 1. probabimus. Ab eodem ergo principio secundum rem, hoc est, intellectu, & voluntate possunt oriri duæ personæ distinctæ realiter, propter oppositionem, quam habent, ut ibidem explicabitur. Quod si necessaria esset distinctio principiorum per rationem ad productionem distinctarum personarum, ea fieri non posset per intellectum clarè videntem Deum, sicuti est, ut ex dictis est manifestum.

DISPUTATIO CXIX.

An attributa diuina mutuo de seipsis, & de essentia prædicari possint.

Opinio Canariensis, cap. 1.

Cum vnum attributum non sit de conceptu alterius, nec aliquid de conceptu essentie, vnum de alio, aut de essentia non prædicari formaliter. *verior opinio est.* cap. 2.

Respondetur argumentis Canariensis, cap. 3.

CAPVT I.

Opinio Canariensis.

1.
Omnia
sententia
Scoti,
explicatur
in quo
sit contrarietas.

Superest, ut in hac disputatione videamus, quomodo attributa de essentia, & inuicem de se ipsis prædicentur, ut hinc plenius intelligamus, qualis distinctio rationis inter ipsa attributa, & essentiam constituenda sit. Mitto autem sententiam Scoti, qui locis citatis supra disputatione 116. cap. 3. cum existimet, attributa inter se, & ab essentia distinguuntur ex natura rei, asserit non

prædicari inuicem, sed in sensu formalis propositionem, in qua vnum de alio enunciamus, esse falsam. Nunc autem cum eis solum nobis controuersia est, qui docent attributa Dei sola ratione inter se, & ab essentia distinguuntur; est autem controuersia de attributis non concretis (ut aiunt) significatis, sed abstractis. Nam certum est, concreta de concretis prædicari, ut Deus sapiens est iustus; autem vero abstracta de abstractis, ut sapientia de iustitia dicantur, controuersum est. Canariensis igitur disputat. 2. in hunc articulum dubitatione vltima, cum docuisset attributa inter se, & ab essentia per intellectum distinguuntur; affirmat nihilominus, mutuo de se ipsis prædicari, & de essentia; id autem probat primum testimonio Augusti. 6. de Trinitate cap. 6. ubi ait, *Eadem magnitudo eius est, quæ & sapientia, & eadem bonitas, quæ & sapientia, & magnitudo, & eadem veritas, quæ alia omnia*. Idem etiam docet cap. 1. in fine, & cap. 10. consentit Anselm. in monologio cap. 16. ubi solum nominis differentiam inter attributa, & essentiam admittere videtur: distinctionem vero rationis nullo modo, & ita vult esse aliud planè facit his verbis. *Idem igitur est, quodlibet vnum illorum, quod omnia simul sunt sine singula, ut cum dicitur iustitia, vel essentia, vnum significat, quod alia, vel omnia simul, vel singula*.

Ratione vero confirmat Canariensis, primum. Si aliquid esset in Deo attributum, in quo nec aliud attributum, nec diuina essentia formaliter includeretur, iam esset in Deo aliquid, quod non esset Deus: quocirca Deus esset sapiens sapientia, quæ non esset essentia Dei: omne enim ens, aut est à se, aut ab alio: si à se, est deitas; si ab alio, est creatura. Deinde si essentia diuina in suo conceptu nos includeret formaliter sapientiam, necessaria attributa, non esset infinite perfecta; ergone ut diuina essentia posset apprehendi, infinitus enim essentia ita est intrinseca ipsi diuine naturæ, ut sine illa cogitari nequeat; sicut nec Deus sine deitate. Idem de singulis attributis dicendum videtur: nam cum quodlibet sit infinitum, debet in sua ratione formali includere omnem perfectionem, ac proinde omne aliud attributum.

Hinc colligit hic author, essentiam diuinam includi in conceptu cuiusque attributi. Idem de quouis attributo respectu alterius docet, ut vnum in alio includatur, & sit (ut aiunt) transcendens respectu alterius, sicut ens omnibus prædicamentis comparatur. Quare inquit, non posse rectè vnum attributum definiri, nisi cetera omnia in sua definitione includantur. Alij videntur exemplo entis, quod transcendit omnia prædicamenta, ut ita ostendant, quomodo essentia in quolibet includatur attributo, & vnum attributum in alio.

CAPVT II.

Cum vnum attributum non sit de conceptu alterius, nec aliquid de conceptu essentie, vnum de alio, aut de essentia non prædicari formaliter. *verior opinio est.*

Opposita sententia mihi probatur, nempe in ratione distinguuntur attributa inter se, & ab essentia, ut vnum non sit de conceptu alterius, aut essentie, nec essentia de conceptu illorum; quare si in propositionibus seruetur sensus formalis, nec vnum de alio, aut de essentia, nec essentia de illis formaliter prædicari: loquimur autem in